



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Eximia quædam jura sunt penes Reges nostros in rebus ecclesiasticis, quæ alij Reges non obtinent. Quia eos vincunt beneficiis in Romanam Ecclesiam. Beneficia Ecclesiæ Romanæ collata, non in ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

C. Meruit, De
privileg. in extrar.

nostras, ob magna Gallorum in sedem apostolicam merita, quàm in ceteros Reges. Apud Clementem enim, *Meruit*, ut ille loquitur, & *Philippi Regis integritas*, & *progenitorum suorum præclara merita meruerunt*, *meruit etiam regnicolarum puritas ac devotionis sinceritas*, ut tam Regem quàm regnum speciali favore prosequeretur.

III. Sanè dubitandum non est quin eximia quædam jura in rebus ecclesiasticis nostri Reges obtineant, quæ ceteris Principibus hodie non competunt. Quod nulli mirum videri debet qui privilegiorum multitudinem ex officiorum magnitudine metietur. Conturbaret profectò Ecclesia Romana, nec suppetere illi facultates quibus cum Gallorum Regibus decideret, nisi liberalitatis & perfectæ donationis titulo immensam beneficiorum suorum molem in eam contulissent. Si ergo liberalitate Summi Pontifices rependere volunt quod ex mera donantium liberalitate consecuti sunt, non est cur ceteri Principes nobis invident benigniorem erga Reges nostros Romanæ sedis remissionem. Certent nobiscum liberalitate, tunc integrum illis erit de privilegiis quoque nobiscum certare. Porrò tanta sunt tamque illustria Regum nostrorum non solum erga Pontifices, sed etiam erga sedem apostolicam beneficia, ut si taceam, prævaricari, si ea recensam, importunus in narratione rei notissimæ esse videar, præfertim cum in eo argumento accuratissimè versatus sit summa eruditione & pietate insignis vir Ioannes Morinus, qui magnitudinem secularis imperij quo potitur Ecclesia Romana à Regum Francorum munificentiâ profectam ostendit, fines provinciarum collatarum investigat, commentitiam Constantini Donationem evertit, temporum illorum historiam solertissimè discutit. Quare non dubitat Regum nostrorum in Romanam sedem beneficia cum beneficiis à Constantino Ecclesiæ collatis conferre. Constantinus enim ab infidelium tyrannide Ecclesiam Christianam liberavit: Reges Francorum ab Ecclesia Romana servitute, qua ab Imperatoribus premebatur, armis suis depulerunt. Constantinus Christianos libertati restituit: Reges Francorum durum Græcorum & Longobardorum jugum perfregerunt, quo cervicibus Summorum Pontificum deprimebantur. Constantinus infamia damnatum quondam Christianum nomen, splendore adjecto commendatum reddidit, Romanamque Ecclesiam aliquot latifundiis & redditibus auxit: Reges Francorum primi, solique, merum mixtumque, imò & summum imperium in

V. C. Ioannes Morinus Presbyter Oratorij Iesu in studio De La Grandiere & Senecæ tempore donavit à Ecclesiæ Romane parisi Regis de France.

aliquot provincias eidem Ecclesiæ contulerunt, eique tranquillitatem procurarunt, contra infestas Græcorum hæresi infectorum quotidianas minas, & adversus impetum Longobardorum. Horum beneficiorum confcius Paulus Papa scripsit Pippino Regi ejusque filiis: *Etsi omnes capitis nostri capelli lingua effecti fuerint, non valebunt ob tanta vestra beneficia dignas referre gratiarum actiones.*

IV. Ut autem quod dicturi sumus hoc capite, facilius intelligatur, observandum est, evocatos à Narsete Longobardos, in Italiam à Gothis ereptam & Imperio restitutam irrupisse, Alboino duce, adeo felicibus auspiciis, ut regnum in Transpadanis regionibus, regiamque Ticini constituerent. Fama gentis concussus Imperator Iustinus II. Longinum Exarchi titulo ornatum mittit anno DLXIX. qui hostium impetum exciperet, & Italiæ statum ordinaret. Ille præsidia in præcipuis civitatibus constituit, sub Præfectorum imperio, qui relicta veteri Correctorum, Comitum, Præsidum, & si qua alia esset, appellatione, Duces militari nomine dicerentur, & ab Exarcho penderent qui Ravennæ sedem suam collocaverat. Hinc Roma, Neapolis, Beneventum, Spoletum, Duces suos acceperunt. Anno DCCXXV. Luitprandus Rex Longobardorum attritam superioribus bellis Exarchorum potentiam, & diffidis intestinis laborantem, evertere studuit, Ravennam capit, & diripit. Fugatum Paulum Exarchum, Venetorum copiæ in urbem atque ditionem reposuerunt. Sed Aistulfus Rex benigniore fato usus anno DCCIII. Ravennam iterum obsessam ad deditionem compulit, Eutyrium Exarchorum ultimum, à ceteris urbibus destitutum, in Græciam abire coëgit. Ravennâ captâ, Romam sibi obnoxiam putavit, eodem jure quo Exarchis paruerat. Stephano Papa conditionem tributi rejiciente, Urbem invadit. Sed Pippini Regis Francorum auxiliis, bina expeditione in Italiam illatis, Aistulfus ad modestiam redigitur; restitutus non solum Romanæ Ecclesiæ patrimonii quæ nefariè invaserat, sed etiam Exarchatu Ravennæ, & adjunctis provinciis quas subegerat jure belli.

V. Has provincias Romanæ Ecclesiæ Pippinus donavit, etsi à Legato Imperatoris Constantinopolitani rogaretur impensissimè ut eas Imperio restitueret. Sed generosus Princeps pietatem suam lædi passus non est, neque à liberandæ Ecclesiæ Romanæ proposito dimoveri, quam Græci, hæresibus infames, æquè premebant, ac Longobardorum